

## ARTICULUS XIV.

## De Negligentia Dubitantium.

- R**egula est, quod dubius teneatur inquirere, alioquin ei negligentia imputatur, *Bald. in c. 1. §. Personam verò tit. per quos fiat investitio, Jason in l. quamdiu num. 7. C. qui admittantur ad bon. poss. , Surd. decis. 265. num. 47. , & Theologi constanter pro reg. ponunt, quod operari in dubio, non præmissis diligentibus, sit intrinsicè malum, Sanchez. ad Decalog. lib. 6. c. 3. sub num. 2. , Suarez. de censur. disput. 10. sec. 5. num. 12. , & apud Juristas dubitare, & scire paria sunt ad effectum, ut dubitans teneatur inquirere, aliàs incurrat negligentia notam, adnotata per *Altograd. conf. 71. num. 39. , & seqq. conf. 94. num. 9. & seqq. , Conciol. alleg. civil. 79. sub num. 33. Vers. Verum quia.**
- 2 Maximæ utilitatis futurum, puto agere de negligentia eorum, qui agunt in dubio, pro ut, qui se dubitant illegitimè natos, vel malè agere moralitèr, vel dubitant se suspensione, aut excommunicatione irritos, & tamen negligunt veritatem inquirere, sed vel ad ordines faciunt se promoveri, vel promoti ordines exercent, Sacramenta conficiunt, administrant, in quibus casibus exponunt se periculo graviter errandi, & proinde si negligant diligentius inquirere veritatem, peccant quæro igitur quanta diligentia uti debeat, quis in præfatis dubiis pro veritate habenda, ne dicatur negligens, & peccet, aut fiat irregularis.
- 3 Quod facit ad primum dubium de illegitimitate natalium, præmitto, quod dubius semper debeat præmittere diligentem inquisitionem, aliàs, neque in foro externo; ut dicitur *c. Illud Dominus de Clerico excomm.*; neque in foro conscientia honestè, & tutè operetur, ut docet *Sanchez. de Matrimon. lib. 2. d. 41. num. 6. ,* alioquin operans in dubio, non præmissa diligentis veritatis inquisitione, diceretur amare periculum, & qui amat periculum peribit in illo, *Eccl. 3. ,* ac haberet locum illud *psal. 35. Noluit intelligere, ut benè ageret, ideo*

quomodo benè ageret, ideo sequitur asstitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odit, nec excusaret ignorantia, quia tamquam ex negligentia causata diceretur crassa, & supina, quæ culpabilis est; Ignorare enim, & dubitare de iis, quæ de facili sciri possunt, & debent, culpæ adscribitur, & sibi imputare debet, qui debitam diligentiam nõ adhibuit *Jo. Bapt. Costatrat. de facti scient. , & ignor. inspect. 82. num. 1. 2. 3. ,* & hujusmodi dubitans, ac negligens inquirere, quæ de facili scire posset, in sui præjudicium habetur pro sciente, *Surd. decis. 265. num. 47. , Gratian. discept. for. 636 num. 5.*

4 Non secundo, quod sufficiens diligentia dicitur ea, qua attentis circumstantiis loci, & temporis, inquirens iudicio prudentis, poterit veritatem invenire, *Sanchez. in Summa lib. 1. c. 9. num. 25. , & c. 10. nu. 8. , hinc Suarez. in tertiam partem D. Thom. tom. 5. disp. 40. sec. 5. num. 13. ,* dicit non esse necesse adhibere omnem possibilem diligentiam absolute, & simpliciter loquendo, sed sufficit si adhibeatur omnis illa, quæ pro loci, & temporis opportunitate fieri potest. At si agatur de sui ipsius præjudicio tantum, sufficiens diligentia est, qua communiter quisque adhibere solet, quod facile constat *per tex. in l. Regula est §. sed facti ff. de juris , & facti ignorantia ,* ita demum cuique non nocet, si non ei summa negligentia obiiciatur, putà si omnes in Civitate sciant, quod ille solus ignorat.

5 Sed difficultas est, quanta debeat esse hæc diligens inquisitio in dubio proposito illegitimitatis, & dicit *Sperell. decis. 175. num. 118. se credere in hoc casu non requiri exactam diligentiam, sed tantam, quanta posset quis de facili certiorari; nam ille pro sciente, & culpabili habetur, qui defacili potest certiorari, ut notat *glos. in l. locus ff. de aqui. poss. , & latè Bald. in l. Manifestissimi n. 8. c. de furtis, Surd. decis. 265. num. 62. ,* addentes ad *Panorm. in c. fin. num. 4. in Vers. si quis dubitet de præscript. ,* tunc quia veritas*

tas

tas legitimitatis, aut illegitimitatis est difficilimæ probationis, itaut neque Matri dicenti filium esse illegitimum credendum sit, nisi alia argumenta ex circumstantiis afferantur, ut latè ostendit *Mascard. deprobat. concl. 788. num. 2. ,* tum quia jure præsumitur, quisque legitimus, si ex coniugata, & cum Marito cohabitante nascatur, *D. D. in l. filium ff. de iis, qui sunt sui, vel alieni juris , Mascard. à concl. 788. nu. 1. , Sperell. decis. 174. num. 1.*

7 Et casu quo adhibitis diligentibus adhuc remaneret in dubio, non ideo tenetur abstinere à susceptione ordinum, tum quia versamur in materia in qua certitudo haberi non potest; *Sperell. d. decis. 175. num. 120. ,* tum quia habet præsumptionem ad sui favorem, ut dictum est, tum quia in dubio, melior est conditio possidentis suam libertatem, quia ubi vertitur dubium, hinc inde est ratio, & par causa, in pari autem causa, melior est conditio possidentis, *reg. in pari de reg. Jur. in 6. , & ff. de reg. Jur. , Sanchez. de Matrim. lib. 2. d. 41. num. 12. , & de præcep. Decalog. lib. 1. cap. x. num. 9. , & seqq. , Diana par. 4. ressol. 2. ,* & in puncto, quem non esse censendum illegitimum in dubio resolvit, *Bonacina de ressit. in genere d. 1. q. 2. in fine num. 12. §. Incidentis ,* licet tutius putet dispensationem petere, *Megala de censur. lib. 7. c. 1. num. 89.*

8 Quod eo magis firmatur, dum, & expositi censentur legitimi, & non irregulares, *Diana pluribus allegatis p. 2. tract. 15. ressol. 22. , & p. 4. tract. 2. ressol. 58. ,* ubi refert *Greg. XIV. declarasse expositos habendos pro legitimis, Gratian. discept. for. 135. num. 31. , & seqq. , & c. 267. nu. 22. , Menoch. de arbitr. Jud. c. 396. nu. 15. , & 16. Barbof. de Potest. Episcopi alleg. 51. nu. 150. Antonell. de regim. Eccl. lib. 6. c. 38. nu. 4. , Leoncil. de privil. paup. p. 1. q. 3. num. 64. , Paschal. de viribus patr. post. lib. 1. c. 6. num. 10. ,* afferens rationem, quia delicta non præsumuntur, sed in dubio capienda est interpretatio, qua delictum excludatur *l. merito ff. pro socio ,* & licet plures tam Theologi, quam Canonistæ oppositum sentiant, relati per *Barbosam collectanea Doctorum ad rub. de infantibus , & languidis expositis Vers. Quæstio est celebris ,* attamen communioem esse *D. D. resolutionem juxta à nobis positam sententiam, dicit idem Barbof. in Vers.*

*Verum doctores eadem rub. ,* ubi plures, & plures allegat, & in dubio ita decidit, *Rota decis. inter impressas Putei decis. 2. lib. 3. ,* cui non obstat *decis. Seraphin. 1081. nu. 3. ,* ubi quod expositio infantis ad hospitale multum repugnat legitimæ filiationi, nam in illo casu vehementes erant coniecturæ de illegitimitate, & quod non fuerit matrimonium inter parentes ejus de cujus legitimitate quærebatur, nos autem supponimus filium natum ex conjugata cum Marito cohabitante, vel si de exposito simpliciter, de cujus Parentibus non constet; quia si constaret parentes ejus matrimonio non copulatos, tunc sumus extra dubium, sed certa præsumitur illegitimitas.

10 Quod facit ad secundum dubium de eo qui dubitat, an benè, vel malè moralitèr agat, ne sit negligens, & peccet, debet omne studium, & omnem diligentiam adhibere ad inquirendam veritatem, donec per rationes saltem probabiles inveniatur id, quod verius videtur, *Sayr. Clavi reg. lib. 1. c. 13. n. 6. ,* ubi quod de hac re nulla potest dubitatio esse, si quidem ut evitet peccatum in agendo, ea omnia facere tenetur, quæ recta ratio præscribit, & regula prudentiæ est, ut dubitans diligentiam adhibeat, ne operando peccet, & quando propria industria non sufficit, adhibendū est consilium virorum bonorum, *D. D. probatorum, & prudentum, inter quos præcipuum locum habere debent Prælati, Superiores, Confessarii pii, & discreti; potissima autem diligentia est oratio, ut dicit D. Bonaventura in 2. sentent. a d. 39. art. 1. q. 3. ad fin. ,* ubi qui nescit legem Dei, debet Superiores consulere, vel per orationem se ad Deum convertere, si humanū consilium deest, alioquin si negligens est, verificatur in eo, quod dicit *Apostolus 1. Corint. 14. qui ignorat ignorabitur.*

11 Alius casus figurari potest in exactionibus gabellarum, tributorum, vel aliarum rerum, quovis titulo debitarum, vel prætenfarum, & exactarum, non solum auctoritate publica, ut de exactoribus gabellarum, & tributorum à Principe impositorum, sed etiam auctoritate privata, ut sunt quedam exactiones, quæ per Dominos Prædiorum, Villarum &c. exiguntur à Rusticis, Colonis Partiaris, Castaldionibus &c. , si hujusmodi exactores

Bb 2

dubi

dubitent de iustitia exactionis, ad quid teneantur, ne saltem ex negligentia delinquant, quod & de conductoribus gabellarum, & tributorum pari modo quæri potest.

12 Rationes autem dubitandi esse possunt, vel quia videtur gabella imposita sine necessitate, vel quod Princeps imponens, prius non subtraxit expensas omnino inutiles, & prorsus voluntarias, quas prius subtrahere debet, ut iuste nova imponat gravamina; *Regens. de Ponte de potest. Princip. tit. 4. de regal. impos. Less. de iust. & iure lib. 2. c. 33. dub. 6., Diana p. 1. tract. 3. resol. 4., Layman. lib. 3. tract. 3. p. 1. c. 3.,* vel quod prius non suspenderit gratias, & pensiones, quas etiam remunerationis gratia dispensat, quia hæ respiciunt bonum privatum, non imponere autem gabellam respicit publicum bonum, quod privato antefertur; observo tamen, quod si huiusmodi gratiæ, & pensiones aliquo modo respectum habeant ab bonum publicum, puta quia sunt in remunerationem laborum pro bono publico partorum, ut in bello &c., tunc cessat ratio, & requisitum *Tb. del Bene de comitis. dub. 12. sect. 2.,* vel dubitatur de causa imponendi gabellam, an sit iusta, vel an gabella imposita sit major, & excedens, quam necessitas exposcat, & an exactum infumatur in talem necessitatem, vel in aliam causam voluntariam, de quibus late tractat. *Tbo. del Bene de comitis. dub. 7. 8. per totum.*

13 Distinguunt, & plurimum D.D., vel exactor scit Dominum, & Principem imponentem gabellam, aut tributum dubitare de sua potestate, & iurisdictione, vel de iustitia gabellæ impositæ, tum quia quisque debet esse certus de sua iurisdictione &c.; Exactor nequit exigere gabellam impositam, nisi præmissa diligentia, quæ moraliter sufficiat ad veritatem assequendam, vel nescit dominum imponentem dubitare de sua iurisdictione, dubius ipse tamen exactor est de iustitia, & iniustitia gabellæ, & dubium exoritur, eo quia alii affirmant, alii negant iustam esse gabellam, tunc adhuc distinguunt, vel exactor est subditus, qui munus exactoris exercet ex obedientia, & tunc ad nullam diligentiam tenetur, quia *in dubio melior est conditio Superioris*, qui Jus imperandi possidet, & sub-

ditus debet se submittere suo Superiori, & existimare cuncta rectè facere, & sic obediendo ei obsequium, & famulatum præbere.

14 Idem etiam militat de exequutore iustitiæ, qui exequitur sententiam iudicis, vel carcerando, vel torquendo, etiam occidendo, quia cum iudex habeat iurisdictionem, præsumitur omnia juxta, regulas iustitiæ disponere, & sic iudex est in sua possessione, vel quasi, & intrat *reg. melior est conditio possidentis, reg. 65., de reg. iur. in 6., Tb. del Bene de comitis. dub. 8. sec. 3. n. 2.*

15 Idem prorsus militat in dubio, an bellum sit iustum, subditi autem coacti ad bellandum, etiam si dubitent, an bellum sit iustum pro parte sui Principis, non tenentur præmittere ulla diligentias ad investigandum de iustitia, vel iniustitia belli, quia præsumptio stat pro eorum Principe, & in dubio etiam possessio sustinetur, & intrat *reg. in pari de reg. iur. in 6.*

16 Si verò exactor gabellæ, tributis &c., vel miles, qui accedit ad militandum non sint subditi Domini, pro quo exigunt, vel militant, sed extranei, qui ex mera voluntate, ut lucri gratia accedunt, tunc in dubio tenentur præmittere sufficientem diligentiam, alioquin ex hac negligentia peccant, & si talis, ac tanta sit, ut pertingat ad culpam latam, tenentur ad restitutionem damnorum illatorum, ex tali exactione, ordine tamen servato in restitutione facienda, de quibus prædictis casibus, videndi sunt allegati *per Dianam p. 4. tract. 3. resol. 7.*

17 Et quia diximus, quod subditus si compellatur ad exigendam gabellam, aut tributum, vel ad bellandum, tunc in dubio, non teneri præmittere ulla diligentias, tamen id etiam extendunt ad subditos, qui non compelluntur, sed vel invitantur, vel spontè se offerunt, hi enim semper possunt credere, Principem secundum bonum Jus facere, iuste gabellam imponere, iustum bellum aggredi, quia in dubio unusquisque debet proximum præsumere bonum, & iustum, maximè Principem, & ita sentiunt *Navara de restit. lib. 2. c. 3. num. 278., Suarez. tract. de caritate disp. 12. sec. 6. num. 11., & 12., Taner. in. 2. 2. disp. 2. q. 6. dub. 4. num. 49.*

18 Hinc subsequenter infertur solutio, an huius-

huiusmodi exactores in dubio incurrant excommunicationem latam in bulla Cenzæ contra imponentes, & exigentes novas gabellas, pedagia &c., nam si exactor sit subditus, & compellatur, cum non peccet, etiam nulla præmissa diligentia, neque incurrit censuram, quæ solum incurritur ob peccatum mortale, *Cajet. in Summa V. præcepti transgressio, Palud. in 4. disti. 18. q. 1. art. 2., Navar. c. 27. num. 9., Gabriel. in 4. disti. 18. q. 2. concl. 2., Soto dist. 22. q. 1. art. 2. concl. 1., Covar. in c. Alma Mater p. 1., Sanchez. lib. 6. Moral. c. 4. num. 54., & faciunt *tex. in c. Nemo Episcoporum c. Nullus Sacerdotum 11. q. 3., & Trid. sess. 25. c. 3. de refor.,* quia excommunicatio major gravissima pœna est spiritualis, ac per consequens præsupponit delictum grave.*

19 Subditus verò non compulsus exigendo, aut bellando in dubio excusari etiam potest; juxta superius dicta, quia multi probabiliter sustinent, etiam hunc non peccare, & posse benè præsumere de suo Principe, & sic, si non peccat, neque incurrit censuram, quæ ex dictis præsupponit peccatum.

20 Extranei verò, & non subditi, cum ex dictis teneantur in dubio sufficientem præmittere diligentiam, alioquin, si eorum negligentia ad culpam latam pertingat, peccant mortaliter, tunc pariter eos incurrere excommunicationem bullæ Cenzæ, dicendum est.

21 Quid si exactor, aut miles præmisit diligentiam petendo rationes, causas, & circumstantias ab iis, quos ipse putabat sufficienter instructos, doctos, & timoratae conscientia veridicos &c., tamen vel ex illorum ignorantia, vel malitia fuerunt decepti, ita ut iustum crederent, quod est iniustum, & tunc per bonam fidem excusantur à peccato, vel è contra, iniustam audiant esse actionem, iniustum bellum, quod tamen revera est iustum, sed illi nihilominus in mala fide constituti, adhuc exigunt, & bellum gerunt &c.; licet hic casus ad nostrum institutum de negligentis non faciat, tamen quia ut plurimum contingere potest, dico quod per malam fidem certò peccant, & conscientia erronea eos condemnat de peccato, at non incurrunt censuras, ut excommunicationem latam in bulla Cenzæ, quæ solum imponi-

tur, & incurritur, in casu vero, scilicet quo imponuntur, vel exiguntur nova pedagia, gabellas iniustas, non autem in casu conscientia erronea, ut observat *Navara c. 27. num. 61., & 70.*

22 Unum planè notandum addit *Tbom. del Bene supracit. de comitis. dub. 8. sec. 8.,* quod dicta de exactoribus subditis, aut militibus dubitantibus de iustitia exactionis, & belli, non habet locum in consiliariis, & parlamentis, dicis, & in confessariis, & Theologis, à quibus Principes vota exquirunt circa gabellas imponendas, vel bellum gerendum, si enim consilarii, Parlamentarii, Confessarii, Theologi in dubio non possunt præsumere Principem iuste agere, & sic consulere impositionem gabellæ, aut bellum, sed debent, sicuti iudices fere sententiam, & consilium super re certa, idest ex certa scientia, & certitudine, quæ requiritur ad iudicandum, nec sufficeret, si Rex, aut Princeps testaretur de sufficienti causa, & necessitate, nam in hoc non est Regi credendum, ut late ostendit *Tbom. del Bene de comitis. dub. 2.,* eo quia cum agatur de præiudicio aliorum, tunc neque Principi creditur, cum in sui commodum testificetur, alioquin in dubio præsumitur pro libertate populorum ab oneribus, & vexationibus, & si in hoc huiusmodi consultores non adhibeant necessariam diligentiam, graviter peccant, ac cæteras obligationes incurrunt, sicuti iudex, qui in dubio semper pro reo debet iudicare, *Cajet. V. Vestigalia, Medin. C. de restitutione q. 7., Navar. de restit. lib. 3. c. 1. num. 267., Vasquez. de restit. c. 6. §. 3. num. 73., Suarez. de legibus lib. 5. c. 15., Reginal. lib. x. num. 374., Less. de iustitia, & iure lib. 2. c. 17. dub. 7., Molfes. in Summa tom. 2. tract. 12. c. 22. num. 7.*

23 Dixi quod Consultores, Confessarii, Theologi, debent uti maxima diligentia in ponderanda causa, & rationibus, nec possunt Principi, aut petenti fidem præstare in præiudicium aliorum, nec præsumptio stat pro Principe, quia tunc non gerunt personam subditi, sed tamquam iudices sunt pro eo, tunc constituti etiam supra Principem, & quemcumque petentem consilium, volentem se conformare eorum consilio, *Tbo. del Bene de comitis. dub. 2. sec. 1. num. 7., ubi sec. 2. respondet ad obiecta.*

- 24 Dubitans, an proximus sit in extrema neceitate, ex caritate tenetur veritatem indigentiae indagare, & si repererit gravi, aut extrema indigentia laborantem, teneatur elemosinam elargiri pro viribus, quod si neglexerit, investigare peccat mortaliter, quia laedit charitatem in re gravi, ut post *Santium* scripsit *Dianap. 5. tract. 8. resol. 39.*
- 25 Dubitans an incurrerit excommunicationem, ne fiat irregularis ministrando Sacramenta, si sit Sacerdos, debet facere quod in se est, ut veritatem incurfus excommunicationis cognoscat, nisi enim id fecerit, aut ab eo faciendo necessitate urgente, excusatus fuerit, incurrit peccatum, & poenam irregularitatis, ut post *Marcerum*, dixit *Dianap. 5. tract. 9. resol. 94.*, ubi addit, quod facta omni diligentia, si adhuc perseverat in dubio, videndum est, an potuerit absolvi ad cautellam, si enim potuit, & negligens omisit, posito, quod revera fuerit excommunicatus, puta quia post tempus id detegitur, tum negligens incurrit, & peccatum, & poenam irregularitatis, *Suarez de censuris d. x. sec. 5. nu. 12.*, si verò facit quantum in se est, & visum sibi fuit, invenisse, se non esse excommunicatum, aut saltem practice deposuit hoc dubium, tunc licet revera esset excommunicatus, quia per tantam diligentiam evitat peccatum, ita & poenam, sicque non fit irregularis.
- 26 Si Maritus, vel Uxor dubitant de validitate Matrimonii, durante dubio, tenentur reddere debitum, non tamen petere, nisi praemissa sufficienti diligentia, iudicio prudentis, quanta sufficiat, scilicet ad veritatem assequendam, alioquin si negligat inquirere, petendo debitum, mortaliter peccat, *Sanchez de Matrim. lib. 2. disp. 41. num. 46.*, *Sot. de just. & jur. lib. 4. q. 5. art. ultim.* aliique allegati per *Dianam p. 4. tract. 3. resol. 15.*, ubi *Verf. sed licet haec opinio, ad finem*, ait, quod si moraliter appareat impossibile, quod adhibita diligentia dubium vinci possit, tunc coniux dubitans nulla adhibita diligentia potest etiam petere, neque negligens dicitur, quia tunc cuiquam negligentia non imputatur, quando diligentia nihil proficeret *l. fin. §. si ea conditio ff. ad leg. Rodiam de jactu*, *Bellet. disquis. cler. p. 1. tit. de disciplina clericali §. 20. nu. 14.*, quia nemo obligatur ad inutile, *San-*

*chez d. disp. 41. nu. 47.*, & paria sunt non fieri, ac inutiliter fieri *l. penul. ff. de suis, & legit. hered. ad late tradita per Barbofam tract. de axiomat. jur. axiom. 174. num. 14.*, sicut paria sunt nullum esse, vel sine effectu esse, *Surd. decis. 51. nu. 21. 22. Consil. 3. num. 8. conf. 157. num. 13.*

- 27 Quando autem de facili tolli posse dubium existimatur, tenetur omnem diligentiam adhibere, ut veritatem assequatur, alioquin si negligat, graviter delinquit, ac si sciret nullum esse Matrimonium, & tamen peteret, quia paria sunt scire, ac de facili scire posse, *Rota decis. 93. num. 4. p. 2. Recent.*

Et si dixeris, quod dubius ab ignorante non distat *l. Manifestissimi §. si autem nescius C. de furtis*; Immo comparantur, *Surd. decis. 265. num. 17.*

Attamen limitatur illud dictum, ubi dubitans tenetur inquirere, & de facili potuit certificari, *Surd. ead. decis. 265. n. 47.*, & 62. alleg. per *Barbofam suprad. tract. axiom. 78. num. 4.*

- 28 Hinc sequitur, quod si emas res ab eo, de quo rumor est, quod sit fur, aut vehemens suspicio, quod ille multa vendat furto sublata, si non praemisisti diligens examen, ut veritatem assequeris, tibi haec negligentia imputatur, & peccas ad tradita per *Dianam p. 4. tract. 3. resol. 27. Verf. Notandum est tam hic*, immo teneris res, sic emptas vero domino comparenti restituere, nec praetium solutum recuperas, & de hac diligentia praemittenda late tractat *Farinac. in tract. de furtis q. 177. num. 29.*, & 39., ubi quod emens, vel pignus recipiens debebat bene perquirere &c., ubi n. 40., & 42. limitat in eamente à praedonibus, & latronibus publicis, si parvo pretio emat, & cum intentione restituendi rem sic emptam, vero domino comparenti, sibi restituto pretio soluto, quia tunc gerit rem utilem vero Domino, ac proinde etià si nullam praemittat diligentiam, non peccat, nec pretium solutum amittit, ad late tradita per *Menoeb. de praesump. lib. 5. praesump. 29. num. 26.*, *Covar. in rez. peccatum p. 3. §. 1. num. 1. de reg. jur. in 6.*, *Diana d. tract. 3. resol. 33.*, *Sanchez. de matrim. lib. 2. d. 41. num. 29.*, *Castrop. tom. 1. d. 3. pri. 3. num. 4.*

- 30 Praedicta firmantur ex traditis per *Cagnol. in l. qui*

*in l. qui cum alio 19. à num. 4.*, & seqq. ff. de reg. jur., quod in contractibus dubitans non equiparatur ignoranti, quia contrahens cum altero, si dubitat, debet se diligenter informare, & certificare, hinc oritur illa juris praesumptio, quod contrahens cum alio praesumitur scire qualitatem ejus, *l. si Patronus ff. de confirm. tutorum c. innotuit de electione.*

- 31 Limitandum tamen puto; primò, si dubium sit probabile ad favorem dubitantis, quia tunc non agens maxime ad effectum evitandi poenas, quae alioquin incurruntur ob inobedientiam, quomodo excusatum fuit Capitulum Barcinonen., quod propter rationem dubitandi, non fuisse servata servanda in electione Penitentiarum, recusabat admittere electum ad Possessionem, *Rota coram Royas in Barcinonen. Canonatus 26. Feb. 1646. post decis. 636. p. 4. diversorum, Sanchez ad decalog. lib. 6. c. 3. num. 3.*
- 32 Limita secundò, generaliter in casu, quo Superior praecipiat, & subditus dubitet, an quod praecipitur sit licitum, vel excedat praecipientis potestatem, nam in tali dubio subditus non tenetur ullam diligentiam praemittere, neque investigare, an res precepta sit licita, nec ne, vel excedat potestatem praecipientis nec ne, sed tenetur etiam si nullam praemittat perquisitionem obidire, eo quia, cum Superior sit in possessione praecipienda, sufficit, non esse certum, rem esse illicitam, aut ejus potestatem excedere, unde in dubio intrat regemior est conditio possidentis, eique absolute parendum est, ad late tradita per *Sanchez. ad Decalog. lib. 6. c. 3. num. 3.*, & 5., & in hac generali limitatione fundantur superius dicta in aliquibus casibus peculiaribus, ut de justitia belli, gabellarum &c., *D.D. communiter c. quid culpatur 23. quest. 1.*, *Farinac. prax. crim. quest. 98. nu. 44.*, *Cephal. conf. 110. num. 31.*, & seqq. lib. 1., *Barbos. in d. c. quid culpatur*, ibique plures per eum allegati, *Menoeb. de praesumpt. lib. 6. praesump. 96.*
- 33 In materia verò irregularitatis, dubius an incurrerit irregularitatem, possibilem diligentiam adhibere tenetur, ut veritatem atingat, alias exponens se periculo suscipiendi ordines, vel administrandi Sacramenta in irregularitate, propter hoc periculum peccaret mortaliter.

- 34 Sed difficultas est, si adhibita esset possibilis diligentia adhuc remaneret dubium, quia dubitans non potuit invenire veritatem, & tunc distinguendum de dubio juris, & dubio facti; nam in dubio juris practice debet deponere dubium, & judicare se non esse irregularem, propter *reg. juris in c. 15. qui de sent. excom. in 6.*, quod scilicet irregularitas non est asserenda nisi expressa, & clara habeatur in Jure, si igitur facta omni diligentia non invenitur in jure imposita irregularitas, pro eo casu, de quo dubitatur, judicandum est, non esse impositam, *Suarez. de censuris disp. 40. sec. 5. num. 18.*, in dubio verò facti; adhuc distinguendum, nam in dubio facti homicidii, si praemissis omnibus diligentibus, adhuc remanet dubius, tunc debet se habere pro irregulari, & hoc specialiter invenitur dispositum de homicidio *c. Ad audientiam c. significasti il 2. de homicidio*, at in ceteris capitibus in dubio facti praemissis possibilibus diligentibus, si adhuc remaneret dubius, nemo debet se habere pro irregulari, ita in dubio mutilationis, qui dubitat hominem mutilasse, puta eruisse ei oculum, & fecit diligentiam, quam potuit, ut facti veritatem assequeretur, sed adhuc res dubia perseverat, tunc non debet se habere pro irregulari, eo quia tunc intrat *reg. quod ubi jura partium sunt obscura favendum est reo*, *reg. Cum sunt de reg. jur. in 6.*, sicuti in *reg. In obscuris, minimum est sequendum, in poenalibus benignior est interpretatio facienda, & in pari causa potior est conditio possidentis, omnes regulae jur. in 6.*, cum ergo dubius adhuc possideat suam libertatem, idest quod sit liber ab irregularitate, sequitur quod meliorem debet conditionem elligere, & se habere pro non irregulari; ratio autem valida est, quia sicuti Judex in dubio comissi delicti, vel qualitatis ejusdem, non potest poenam ordinariam infligere, *l. favorabiliores ff. de reg. jur.*, quia Judex debet exuberare in eo casu magis in absolvendo, quam in condemnando, *l. absentem ff. de poenis*, quod verum est post praemissas diligentias, hinc *Cagnol. in d. l. favorabiliores num. 8.*, dicit, in dubio reum esse absolvendum in fine cause, non in principio, quia finita causa, & formato processu praestitae praesumuntur debite diligentiae, *Cac. ad defen. conf. ult. num. 56.*, Ita neque